


## **Disputatio Philosophica, De Ludis Et Lottariis Providentiæ Divinæ Subjacentibus**

Rostochii: Typis Joh. Jacobi Adleri, [1726]

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1859953328>

Druck Freier  Zugang



RU phil. 18.Dez. 1726  
Dragheim, M. Joh. Benj.

16



DISPUTATIO PHILOSOPHICA,  
DE  
**LUDIS ET LOTTARIIS**  
**PROVIDENTIÆ DIVI-**  
**NÆ SUBJACENTIBUS,**

Quam  
*Ampliff. Facult. Philos. Consensu*

PRÆSIDE  
**M. JOH. BENJ. Dragheim,**  
DANTISCANO,

In illustris Academiæ Rostochiensis

IN AUDITORIO ORDINARIO  
*Anno MDCCXXVI. die XIIX. Decembr.*

defendet

RESPONDENS  
**CAROLUS LUDOVICUS**  
**TETSCH, Regiom. Boruss.**

S. S. Theol. & Philof. Studiof.



ROSTOCHII,

Typis JOH. JACOBI ADLERI, SERENISS. PRINCIPIS  
& ACAD. Typographi.

in-auditorio  
ine certitudine — Bologn.

de Universali ad Particulare non vult argu-  
re. Concursus generalis — — — — — meritorii p. 21  
sed a part. ad Univ. p. g. 23.

quod non negas demonstrandum sumis — in concu-  
ad quos vixit dubium p demonstrato habet — Lib.  
but Christiany Philosophy and — — — — — p. 9. 22

audet id quod olim vituperavit — Tacit  
vituperat id quod olim laudavit — Fatum Chaldaei

Lib. Lit. Nothe pr. Bayle — Horatii  
Grammat. — Lotterii

6. Atque providentia neg. illi honorifi-  
centissime sentias.

# DEUS ANNUE COEPTIS PRÆFATIO.



*infra et  
naturi*

Ene Lipsius: *Providentia DEI mare est, cui si cymbulam ingenii immittes, aut fluctuabit, aut merget.* Cautius hinc navigandum est, ne levissimis conjecturarum inanum ventis abripiamur. Non pauci enim, iique vastæ eruditionis viri, veritatis naufragium in hoc pelago passi sunt. Quos indissolubilis illa catena causarumque nexus ligavit, cum Stoicis; quos jejuna de Fortuna opinio occupavit, cum Epicuro gravem rationis jacturam fecisse, in propatulo est. Invenias quidem Epicurum hac sententia liberantes (quod inter alios Joh. Henricus Kromayerus in Dissert. de Epicuro creationis & providentiæ divinæ assertore, conatus est,) quibus tamen calculum adjicere plerique recusant. Conf. Rondellus in vita Epicuri, pag. 21. & seqq. Et quid? Non olim tantum mentis caligine circumfusos, sed nostra quoque ætate videas, quorum ingenii judiciiue aciem materia de Providentia hebetavit. In recenti memoria habemus, quæ Clericum inter & Baylium controversiæ agitata fuerint. Prolixior de iis notitiam suppeditat Dns. Gottlieb Stolle in der Anleitung zur Historie der Gelahrtheit p. 489. & seqq. Alii tanti momenti materiam vel recte non intelligunt, vel perfunctorie tractant, unde quod Providentiæ ejusque actibus adscribendum est, nunc Fato, nunc Fortunæ tribuunt. Solet id plerumque evenire in Ludis & Lottariis. Non ergo inutilem laborem nostrum judicatum iri, concursus divini & Gubernationis modum in ludis enodaturi confidimus. Faxit DEUS ut rem peragamus feliciter!

## SECTIO I.

### §. I.

**I**Nter actus Providentiæ divinæ ad modum entis complexi concipiendæ, formam ejus constituentes, de quibus maxime loquuturi sumus, Concursus & Gubernatio sunt, ita quidem, ut his negatis, illa porro superesse nequeat; posita e contrario Providentia, Concursus & Gubernatio non possunt non admitti. Non abs re proinde est de Providentia prius quam de his, pauca præmittere. Esse DEUM totius mundi providum Rectorem, invictissimis argumentis alii identidem probarunt. Cum autem ejusdem ponderis singula non sint, interest, paucioribus, iisque prægnantibus Providentiam divinam contra adversarios munire.

### §. II.

Quas sacrae paginæ rationes omnî exceptione majores, habent ne scopo nostro decedamus, Theologis, ductum rectæ rationis sequuturi, relinquimus. Novit Ratio dari Ens infinitum, causam rerum omnium primam; tantum abest, ut perfectionem Ejus non apprehendat, non quidem comprehensiva, apprehensiva tamen notitia, quæ tanta est, ut intelligat, quod Perfectio Deitatis attributum sit, quo essentia divina simpliciter indefectibilis est. Probat porro hanc de Deo Perfectionem, qua ex entitate Dei, qua ex simplicissima essentiæ divinæ unirate. Scit esse Deum perfectum non tantum originaliter, essentialiter & independenter; sed quoque causaliter, eminenter & finaliter. Unde & Philosophis Deus appellatur τὸ πᾶν, & in Ægyptiorum templis de Deo ita perscriptum erat: ἐγὼ εἰμι πᾶν τὸ γέγονόν, καὶ ὄν καὶ ἐσόμενον i. e. Ego sum omne, quod fuit, est, aut erit. Omnes perfectiones Deus possidet, si non  
formali-

formaliter, eminenter tamen. Nec fugit rationem, Ens perfectissimum, non posse non esse potentissimum. Quo quid enim perfectius eo est potentius ; & quo quid est simplicius, eo est perfectius.

§. III.

Cognitis tanti Entis existentia & Perfectione, eximia intelligendi & judicandi vis ulterius hoc modo progreditur. Quodcunque Ens, ceu causa primæ perfectionis est, ut causæ secundæ quicquid habent, ab eodem participant, id ipsum, cum omnium quæ sunt, causa est, tum omnia conservat, regit, & actiones eorum in certos fines ordinat. Qui enim absoluta perfectione gaudet, & infinita potentia valet, sua quoque potentia, imperio & autoritate cuncta regat necesse est. Unica enim ab universali rerum omnium summi Numinis imperio actione exempta, infinita Moderatoris majestas læditur. Quemadmodum salvo regimine summi Imperatoris ne vilissimus exercitus lixa ab eodem excipiendus est ; ita vel unam creaturam, vel actionem ejusdem providentiæ divinæ subtrahere, nefas esto.

§. IV.

Silentio præteribimus ipsam creaturarum conditionem sine Providentia & Conservatione divina per-euntium. Non referemus interna conscientiaë testimonia, infixæ homini, vi non extinguenda aut fraude. Nec concinnum creaturarum ordinem urgebimus, optimum Providentiæ divinæ præconem. Quid? quod Horatius de grege Epicuri porcus, invito quoque Præceptore Divis omnia permittenda esse docuerit, *qui simul stravere ventos aquore fervido depræliantes, nec cupressi, nec veteres agitantur orni.* Lib. i. Carm. Od. I. In-

victissimis argumentis otia nobis Theologi æque ac Philosophi fecerunt, unde potius præsupponimus, quam prolixè, Lectore ad alios remisso, Providentiam probamus. conf. de Ecclesia Christi immortaliter meritus B. D. Schelguigius in Manud. ad A. Confer. P. 1. Art. I. de Deo. pag. 49. Ant. le Grand. Part. II. Inst. Phil. Art. XV. §. 6, Pufendorff. Lib. 1. de off. hom. & Civ. cap. IV. §. 4. & 9. David Hollazius Part. I. Theol. cap. VI. p. m. 460. Clerici Pnevni. Sect. 3. c. VI.

## §. V.

Hostes Providentiæ nonnisi Athei sunt. DEO enim negato admittere Providentiam, sibi ipsi est contradicere. Ex Providentia rectè firmiterque existentia DEI, & ex hac Providentia rursus probatur, quoniam arctissime inter se cohærent. Conf. celeb. Dn, Autores der unschuldigen Nachrichten de an. 1712. p. 98. Eisdem cum Atheis tibas inflat Benedictus Spinoza, ostendente hoc D. Zacharia Grapio in Theol. recens Controv. Tom. II. Cap. II. de Provid. Pares cum Spinoza errores commisit Petrus Pomponatius, Italus, in Libro de naturalium effectuum admirandorum causis, seu de Incantationibus: item de Fato, libero arbitrio, Prædestinatione & Providentia divina. Basileæ 1567. Noluerunt quidem Domini Baylius & D. Buddeus Lib. de Atheis. Cap. I. §. 24. p. 117. seqq. Pomponatium Atheismi reum facere; enimvero quam Acta Philosophorum Tom. 2. part. 9. de atheistica Petri Pomponatii Philosophia mentionem injiciunt, stultitiam ejus in solis disco posuit. Buddeum insuper & Morhofium Pomponatii discipulum Vaninum statuentes, in viam revocant eadem Acta Phil. Tom. I. cap. 1. §. 6. p. 10. & l. supra c. Quod ad Providentiam ipsam attinet,

attinet, demonstrarunt Tom. 2. p. 378. Acta Philof. clarissime, quod eam circa sublunaria, Stoicorum doctrinam de Fato veriolem Christianorum de Providentia reputans, negaverit. Quid de Thoma Hobbesio ab Exc. Gundlingio in Observ. Select. Tom I. Observ. 2. §. 1. & 6, defenso, circa doctrinam de Providentia statuendum fit, penes alios, quibus scripta Hobbesii familiaria sunt, judicium esto. Nos an defendi possit, valde dubitamus.

§ VI.

Data Providentia, statuimus quod ad omnia se extendat. Notum est Objectum Providentiæ divinæ esse vel generale, vel speciale, vel specialissimum. Objectum generale Providentiæ facimus omnia, quæ sunt præter Deum, singularia, nec non vilissima. Quo sensu Providentiæ circa peccatum ipsum versetur, patet §. 4. & 5. Sect. II. Hæc Hobbesium tangunt, contra quem strenue defendimus, pertinere ad Providentiam res inanimatas, irracionales & Atheos. Quia enim res inanimatæ & irracionales a Deo sunt creatæ, ejus quoque indigent Conservatione, utut minutissimæ fuerint: Vid. summe reverendi Domini D. Weideneri, Præceptoris nostri ætatem suspicendi Colleg. Disp. disp. XIX. thes. 3. fqq, pag. 119. seqq. Adami Rechenbergii Disp. de Providentia Dei circa minima. Super Atheos Deus regnat, quia super omnia. Vid. B. Bücheri erudita Disp. de regno Dei per naturam a falsis Hobbesii hypothefibus vindicato Gedani habita. n. 21. p. 129. seqq.

§ VII.

Cum ad omnia Providentiam divinam extendere se certum sit, nec ludos nec Lottarias eximi posse concludimus. Et quidem quod ad ludos attinet, non paucos

paucos humanum ingenium excogitavit, quorum alii lucris tantum apti, vix ac ne vix quidem probandi sunt; alii aut mera sorte nitentes, aut etiam arte re-  
 cti non sunt illiciti. conf. Dürrii Comp. Theol. Moral. c. XVIII. §. VII p. 233. And. Prückneri manual. mill. Qq. illust. cent. 3. Q. XI. p. m. 110. Colberg im Platonisch-Hermetischen Christenthum P. II. c. X. §. XIX. p. m. 535. B. D. Schelgwigii Quakerismus Confutatus Part. II. art. XIX. antith. XI. p. 300. & Synopsis art. XXXIII. q. VI. p. 382. ubi plures eiusdem farinae quaestiones videas. Ex Reformatis, rigidis alias ad-  
 aphaoriae censoribus, ludos defendunt Calvinus in epi-  
 stolis, ep. 361. ad Varelum, & Danæus Tract. de alea. c. I. Esse Lottarias licitas, *quæ nihil aliud sunt, quam im-  
 plicita quædam venditio respectu exponentes illas, & sors di-  
 visoria respectu emtorum*, scribente Jo. Christoph. Bec-  
 manno lin. doct. moral. c. VII. §. XIII. p. 218. paucis,  
 vel prudentiorum nemine contradicente, fufius pro-  
 bare opus non est.

### §. III.

His præmissis statuimus exercere Deum Providen-  
 tiam in ludis, tum licitis, (generaliter nempe ad  
 Luforum actus concurrente, (quemadmodum ex tota  
 Sect. II. patebit eosque ut voto respondeant, vel con-  
 trariantur, dirigendo); tum illicitis, malos & im-  
 probos ludentium actus ad fines certos moderando.  
 Congruit veritati sententia, quia Providentia divina,  
 docente supra §. VI. ad omnia minutissima quoque  
 se extendit, adeoque ad ludos. Exempto fine ad crea-  
 turum, multo magis ad hominum actiones, qua natu-  
 rales quæ morales concurrunt universaliter, ita ut Dei  
 & hominum actio una numero actio sit, quod ex sub-  
 sequente

sequente sectione probabitur; cum autem lusus sit actio ratione motus, e. g. conorum, naturalis, ratione finis aliarumque circumstantiarum moralis, DEUS hic agit generaliter, Lussores eorumque actus sustentando, & vires necessarias suppeditando. Illicitos ad bonum finem flectit, circumstantias, metas ac terminos intra quos lussores se contineant, determinat. Quo ipso tamen locum aliquem hic relinquendum esse diabolo, cum Theologis non negamus, vid. Sect. 3. §. 4. Tandem in Sect. 3. docebimus, nullam in Providentiæ regno, sensu vulgari fortunam esse, quo pacto sententiæ nostræ magnum robur superadditur.

§. IX.

Par ratio in Lottariis obtinet. Et generaliter hic Providentia DEI, & aliquando etiam specialiter agit, ita, ut Providentia divina directrix, cum piis, tum impiis opima lucra decernat, illis quidem ut in pietate confirmentur, his autem ut convincantur & resipiscant. Patet hoc inde, quia directio Lottariæ Deo, omnipræsenti & rerum omnium, vilium etiam moderatori, tribuenda est. Nihil enim DEO est fortuitum, qui cuncta, minutissima quoque, ut sic vel aliter cadant, aut operatur aut permittit. conf. §. 3. Cur, quæso, pro felici eventu DEum veneramur precibus? Cur etiam, obtento ex animi sententiâ lucro, DEO gratias agimus, si Fortunæ tantum, non DEO id acceptum referimus? Adde, quod Lottariis sæpe integra familia e malis, inopia, nominibus, & id genus aliis, ad florentem rerum statum emergat, & liberos gravioribus sumptibus in communis Egregii utilitatem alat, quorum deinde in Republ. officia cuncti celebrant. Profecto, qui coeco casui hæc omnia tribuunt, prona

-01331

B

confe-

consequentia, Providentiam divinam in regnis & Imperiis quibuscunque apertissimam, stolide negant.

§. X.

Sed ut propius ad rem nostram accedamus, Formam Providentiæ, in Conservatione, Concurſu seu Cooperatione, & Gubernatione consistentem considerabimus. Conservationem prolixiori tractu, naturam Concurſus & Gubernationis exposituri non persequemur. Fiat proinde

## SECTIO. II.

§. I.

**C**Um quæstio rei an sit, quæstioni quid sit recte præmittatur, ad existentiam Concurſus divini convertimur. Dari concurſum docet creaturarum dependentia. Omnis enim creatura non solum in esse, sed etiam in fieri est Ens per participationem, propter quam utroque modo ab Ente per essentiam, DEO nempe, dependeat, necesse est. Actio causæ secundæ est in fieri creatura, unde a DEO dependet, & concurſum non potest non requirere. Absurdum foret statuere causas secundas esse entia per participationem, & dependere a DEO quoad esse, non autem quoad operari. Quemadmodum enim causæ secundæ a DEO ratione essentiæ, sic etiam ratione virium & actionum dependent. Operatio ab essentia juxta receptum ab omnibus axioma dimanat: modus operandi sequitur modum essendi. Pone enim entia creata in esse dependentia non dependere simul in operari a causa prima, & certe entia in esse dependentia effectum independentem producent, causa sua nobilitorem. Impossibile porro est, creaturam ad tantam perfectio-

fectionem adscendere posse, ut ad causandum immediato concursu non indigeat. Quid de universali rerum omnium conservacione, aperto concursus divini argumento dicemus? Quid de rationibus aliis, Philosophis peræque ac Theologis notissimis? Plura pro existentia Concursus data opera omittimus, prolati pugnaturi, donec victi fuerimus.

§. II.

Sententiæ nostræ, Concursum DEI non remotum, sed proximum & immediatum defendenti, e veteribus se opposuit Durandus, optime & refutatus & illustratus a B. Slevogt. in Disp. de Ubiquitate DEI per operationem, & Disp. 4. de Indifferentia Volunt. humanæ. Ab aliis Durandismo subscribentes introducuntur Petrus de Aliaco l. 4. Sent. dist. 1. q. 1. Ludovicus Cironius l. 2. c. 23. de placitis Phil. Quos, ut in manibus nostris non habeamus, bona fide præeuntibus aliis adduximus. Nicolaum Taurellum, profligatam hanc opinionem in Triumpho Philosophiæ & de rerum æternitate, ex orco reducentem, allegat Heerbord. Vol. I. Disp. 7. Inter recentiores pollicem Durando premens nostræ doctrinæ medium ungvem ostendit Joannes Clericus Pnevmat. Sect. 3. Cap. VI. cui veritatis gratia obviam ibimus. Afferit §. 9, *fere omnes, creaturis omnem agendi facultatem detrabere, atque actiones, quæ creaturarum dicuntur, proprie esse DEI, qui ex occasione creaturarum agat, affirmare.* Enimvero pace clarissimi Viri falsum hoc esse, asserimus. Liquet nobis fuisse aliquos, qui DEO omnia tribuerent, cum inter Veteres, tum recentiores, sed certe numero recte sentientibus longe inferiores. E veteribus quosdam innuit Svarez. Disp. 18. Metaph.

Se&t. 1. N. 2. E recentioribus aliquos adduxit B. D. Grapius. Tom. 2. cap. 2. de Provid. Quæst. 3. in Theol. recens controversa. Rem ipsam infra fufius tractabimus. Deinde S. 10, hanc opinionem niti dicit hoc canone Clericus: *Causæ secundæ dependent a prima in fieri, in esse, atque operari.* Equidem committit Vir eruditissimus fallaciam, a dicto secundum quid ad dictum simpliciter, eamque ex mente sua nobis obtrudit. Non enim juxta saniores Philosophos canon iste negat creaturas simul agere; (quod fieri putat Clericus) sed cooperationem DEI in actionibus creaturarum, propter essendi dependentiam tantum affirmat. Qui latius canonem extendunt, eo abutuntur. Neque in S. 11. phrasin: *pendere in operando*, explicans, rem acutetigit. magnæ eruditionis autor. Idem ei enim est, ac *ejus esse naturæ, ut si DEus velit, operandi vim detrahat, impediat & dirigat, prout vult, quod nemo negarit qui DEum agnoscat.* Inadæquatus iste de phrasi conceptus est. Dependens in operando, non tantum dicit, posse DEum operandi vim creaturis detrahere, impedire, &c. Sed infert simul concursus DEI positivum, utpote quo sublato creaturas nihil agere posse, verum est. In fine §. II. docet, *quod axioma illatum ex hypothese sua DEum esse autorem actionum creaturarum non probet.* Quod ipsum stantibus hypothese & explicatione autoris recte dicitur, non vero absolute ut demonstravimus.

## §. III.

In §. 12. mentem satis superque exponens, *non opus esse, statuit, ut DEO etiam tribuamus, quæ a creaturis fiunt, sed tantum, ut, quemadmodum quicquid habent creaturæ, id a DEO acceperunt: ita omnia eo volente amittere,*  
nec

*nec suis facultatibus, inscio aut invito, uti nullo modo posse, nos credere profiteamur.* Utrumque quidem verum est, sed ex eo creaturæ nondum agere possunt sine Concursu DEI. Quanquam enim revera aliquid agant & efficiant creaturæ, ut mox demonstrabimus, ad actiones suas producendas insufficientes tamen sunt. Non enim absolutam agendi potentiam habere possunt, sed indigent concursu causæ primæ, quia dependentia infert insufficientiam, & insufficientia infert ac requirit Concursum causæ primæ. Sane si DEUS non concurreret, tunc nihil magis præstaret, quando causa secunda agit, quam cum non agit, sicque non esset causa proprie efficiens prima. Nec satis est Cl. Auctori, sententiam veram rejicere, sed duplici de causa eam §. 13, *inmane quantum perfectionibus divinis detrahere* inculcat. Putat enim hoc modo, *opera divina, etiam intelligentia prædita, in machinam alienis nervis mobilem mutari, &c.* Sciat autem Vir doctissimus, quod manifestam repugnantiam involvat creatura in esse dependens, & simul independens in operando, quippe modus operandi modum essendi semper sequitur, & operatio ab essentia tanquam ejus Consequens dimanat. Hinc Deus non potuit facere rem creatam independentem a DEO in operatione sua, non quidem per defectum suæ potentiaæ sed per impossibilitatem objecti, unde non tam debet dici, DEUM eam non posse facere, quam eam non posse fieri. Altera ratio, cur sententia nostra perfectionibus divinis aliquid detrahat, a nobis refutabitur, ubi de Concursu ad malas actiones dixerimus, id quod jam fiat.

§. IV.

Cum §. 2. Concursum divinum ad omnes creatu-

B 3

rarum

rarum actiones requiri docuerimus, quomodo se ad actiones malas habeat, redundat quaestio? Instar effectus, seu mediatuſ seu immediatuſ ille fuerit, providentiæ diviniæ malæ actiones non ſubjacent; ut obiectum tamen, seu materia circa quam recte ad eam pertinere dicuntur. Quod autem ad ipſum in malis actionibus concurſum attinet, diſtinguendum eſt inter ipſam actionem, & actionem peccaminofam. DEUS tantum ad materialem entitatem actus mali, h. e. actionem illam, quatenus eſt actio, concurrat, non vero concurrat formaliter ad malitiam i. e. non concurrat ad eam quatenus eſt mala, neque enim proprie illa eſt actio vel effectus, ſed potius defectus, & carentia perfectiōnis debitæ ineſſe actioni, nos autem de concurſu cauſæ primæ cum actionibus & effectibus, non defectibus cauſarum ſecundarum loquimur. Cum enim DEUS non poſſit non perfectiſſimum agens eſſe, peccatum quod imperfectio duntaxat eſt, non poteſt a DEO effective dependere, ut poſſit directive, quat. Deus permittit peccatum, dirigit, terminat, punit & ſæpe remittit.

## §. V.

Nunc redeamus ad Clericum. Statuit ille l. c. §. 14. ſtante Concurſu in actionibus omnibus divino, DEUM fieri Autorem peccati, utque a ratione alienus eſſe non videatur §. 16., diſtinctionem inter actionis morale & phyſicum aurium ludibrium vocat. Poſt ita fatur: *Licet abstractione poſſint morale a phyſico, actio ipſa a relatione ad obiectum diſtingui; non ſequitur ea eſſe diviſa, aut ſingularem actionem poſſe diviſim ita edi, ut DEUS partem ejus, alteram creaturæ faciant. Utut autem actionum partem DEUS, alteram creaturæ non efficiant, ſed una eademque efficientia totali fiat a DEO & creatura*

tura

tura : [nihilominus tamen in actione physicum & morale inter se distincta manent. Quoad Concursum enim actio respectu DEI tantum spectatur prout est in genere entis. Deus concursu suo facit ut actio sit actio, seu ut actio verum ens sit ; qualitatem vero huic enti inhærentem vitiosam ei tribuit causa secunda particularis effectum determinans, hincque DEUS non est causa peccati, quia actionem non specificat. Malum non est nisi a causa secunda particulari, quæ sola deficere potest. At quemadmodum cytharædus, juxta artis legem canens, in *δυσφωνία* ex fidium qualitate orta, producit cytharæ sonum ; non autem vitium soni ; ita DEUS producit actionem, non vitium actionis. Conf. B. D. Schelguigius in Hypom. Hut. Loc. VII. de Provid. ad quæst. 6. n. 2. p. 129. Vitiositas autem actionis differt ab ipsa actione respectu causæ specificantis actionem, ad quam unice pertinet. Cum vero specificatio actionis, non sit a Deo, sed causa particulari, recte vitiositas tanquam morale actionis ab actione distinguitur, & causæ secundæ tantum adscribitur.

§. VI.

Quia itaque ad actiones & bonas & malas omnes concursus Dei referri debet, a Ludis & Lottariis, quæ actiones sunt, abesse non poterit, quod ex præcedentibus clarissime constat. Unde quomodo hic DEUS concurrat excutere operæ pretium esto ? Non autem DEUS cum Lusore, nec cum pueris sortes ex urna (ut fieri amat) trahentibus concurrat volitione tantum, ut infra in Definitione exponemus. Nec concurrat cum ipsis ita, ut lusorem vel puerum sortes trahentem, tantum ad actus moveat, vel applicet, actione aliqua prævia, quæ sit stimulatio vel excitatio causæ secundæ.

secundæ ad agendum, quia v. g. quando ignis materiæ combustibili proximus est, non opus est ut excitetur actione prævia ad calefactionem vel combustionem, unde colligimus Concursum DEI in applicatione illa non consistere. Imo etiam posita illa applicatione, opus tamen est, ut DEus cum igne ad calefactionem vel combustionem concurrat. Neque obstat, quod Deus dicatur agens primum, quodque causæ secunda non agat, nisi mota a prima: quia omnia illa innuunt DEum agere independentem ab alio superiori agente, causam secundam vero non agere nisi dependentem a DEO. Sciendum itaque est lusorem, vel puerum in Lottariis adhibitum positus omnibus ad agendum requisitis, non posse non agere, & agere etiam pro ultimo suo posse. Clarum etiam est, quod stante motione & applicatione aliorum Concursum iste solum terminaretur ad causam, & non ad actionem, vel effectum illius causæ. Actio igitur ista vel effectus causæ, nondum dependeret per ipsum concursum à DEO, sed causa solum. Sive DEus attingeret effectum remote tantum, non per modum causæ physicæ, sed moralis, sicque effectus non est ad DEum per influxum proprium referendus, sed solum per imputationem. Tacemus DEum hac ratione esse causam peccati, moveret enim applicaretque causam secundam ad actum legi contrarium. Agit vero DEus cum lusoribus & pueris Lottariis operam suam navantibus per positivum influxum quem immediate ad actiones eorum præbet. Neque aliquid in istis causis, sed aliquid cum his causis efficit. Juxta priorem vero sententiam explicandus est Concursum DEI per aliquid, quod faciat DEus in causa, nempe virtutem aliquam uberiorem vel motionem ejus. §. VII.

## §. VII.

Fluit inde, actionem ludentium & puerorum Lottariis infer-  
 ventium non a solo dependere DEO, sed Lufores puerosque re-  
 vera aliquid agere & efficere, nec causas occasionales tantum esse.  
 Qua ratione ex recentioribus Theologi Cartesiani hic procedant,  
 videre est in B. D. Grapii Theol. recens Controv. Tom. II. p. 43.  
 & seqq. Et Veterum quoque circa causarum secundarum agendi  
 vim discrepantes sunt sententiæ, quibus tamen omnibus album  
 calculum adjicere non possumus. Frustra creaturis nihil agentis-  
 bus potentiæ activæ data essent, sunt enim propter actus poten-  
 tiæ. Quid? quod ipsæmet creaturæ frustra essent, propria si desti-  
 tuerentur operatione, siquidem unumquodque propter suam o-  
 perationem est. Quam turpi contrarium statuentes errori affines  
 sunt? Illa namque sententia posita, a causalitate peccati quomo-  
 do DEus absolvi queat, nobis non datur cernere. Non enim crea-  
 tura, sed solus DEus actionem hanc efficeret. Neque ignis posset  
 dici urere, aqua frigefacere, vinum calefacere, & quæ sunt id ge-  
 nus alia, si DEus solus hæc omnia efficit, creaturæ autem se ut  
 nudæ habent causæ occasionales. Vid. Rudrauffii Instit. Metaph.  
 P. Spec. C. II. Membr. IV. Punct. I. Thef. XXI. p. 839. seqq. Dni. Au-  
 ctiores der Unschuld. Nachrichten de anno 1703, p. 1080. seqq. Dan-  
 tur etiam actiones, quarum ipse DEus objectum est, quæ sane cre-  
 aturis non agentibus, in DEum ipsum ut redundant, necesse est.  
 Nec obstat, quod quendam opposuisse in memoria habemus: Infi-  
 nita Dei Scientia postulat, ut nihil in universa qua late patet rerum  
 natura existere possit, quin actu id sibi cognitum habeat. Ergo infi-  
 nita Dei virtus productiva postulat, ut existat nihil, quin illud ipsum  
 DEus actu producat. Enimvero exinde hic nulla est consequen-  
 tia, quia infinita DEI Scientia ad malum quatenus malum, pecca-  
 tum quatenus peccatum est, extenditur, ad quod infinita DEI po-  
 tentia & bonitas extendi nequeunt. Si tamen gemini illius attri-  
 buti comparationem non secundum Objecti qualitatem sed solam  
 quantitatem quis instituat, aliquid in se veri continet. Nam au-  
 didimus supra ad omnium actionum materiale DEum omnino  
 concurrere, non vero ad formale ipsum.

## §. VIII.

His præmissis porro statuimus, quod DEus cum Luforibus &  
 pueris Lottariis infervientibus, nec ita concurrat, ut Lufores &  
 pueri

pueri ceu causa mere instrumentales, DEus vero instar causa principalis agit, quemadmodum actio aurifabri principaliter a fabro, instrumentaliter a malleo est. Constat, causam instrumentalem, nisi motione Physica motam a principali agere non posse; Lussores autem, & in Lottariis pueri agere possunt, ipsa concurrente quidem necessario prima, sic tamen ut lussores & pueros tanquam instrumenta non eleuet. Lussores & pueri sunt causa secunda libera, habentes in se virtutem, qua, oblato sibi objecto, se ipsas movent, licet a causa prima motione Physica non moveantur. Adhuc causa principalis instrumentalem determinat; sed hic vice versa secunda causa determinat primam (quod tamen sano sensu intellectum volumus) & quoad exercitium & quoad Specificationem. Conf. Pauli Slavogti Disp. de Indifferent. Volunt. Hum. in ordine ad Actiones Morales §. LII.

## §. IX.

Verum inde evadit, quod DEus cum omnibus, adeoque Lussoforum & Puerorum in Lottariis adhibitorum actionibus tanquam causa prima & universalis cum causa secunda & particulari concurrat, ita quidem ut DEI concurrentis & Lussoforis vel Pueri agentis una numero eveniat actio. DEus immediate in creaturam actionem influat: si ergo actio creaturam immediate est a Deo, nihil aliudquam ipsa potest esse DEI actio. Aut enim hac actio immediate a DEO dependet per se ipsam, aut per aliam actionem. Quod per aliam actionem a Deo dependeat, statuere ex hac ratione nemo poterit, quoniam ad actionem actio non datur, propter progressum in infinitum. Si autem actio immediate dependet a Deo per se ipsam, propter hoc consequentia fluit a Deo, quod a parte rei simul & una numero actio fit. Non tamen inde metuendum est, ne inter causam primam & secundam discrimen e medio penitus tollatur, causa secunda ad divinam essentiam evehatur, & propria divina natura prerogativa creaturis tribuantur. Ut semper ita hic quoque modus operandi sequitur modum essendi. DEus agit virtute independente & infinita, finita & dependente creatura. confer. D. Justi Wesselii Rumpæi Instit. Theol. p. 315. & beatæ memoriæ D. Schelvigius in Synopsi Controv. sub pietatis prætextu motarum Art. X. p. 107. Contrarium statuentes, vi sententiæ suæ concedant, agi & emici a creatura aliquid independentem, adeoque actionem & effectum esse suam causam, nobiliorem, id quod absurdum est.

## §. X.

§. X.

Neque DEUS denique cum Lusoribus & Pueris in Lottariis agentibus concurrat prædeterminante sed simultaneo concursu. Nullus enim prædeterminationi huic locus, agentibus naturalibus in creatione jam prædeterminatis, ut pro ratione essentia suæ agant, relinquendus est. Ecquis porro non videt, concessa hac prædeterminatione, agentia, quibus libertatem agendi nunquam non debemus, non amplius libere, sed necessario agere. Dari aliquam Summi Numinis circa actionem agentium flexionem s'vaviter disponentem, & sapientissime illas ad finem dirigentem, non negamus; prædeterminationem autem cum necessitate quadam conglutinatam sane pejus & angve fugimus; confer. Hollazius Part. I. Theol. Cap. VI. Quæst. 18. & ali. passim.

§. XI.

His præmissis, quam de concursu definitionem approbamus, hæc est. *Concursus* est actus providentiæ divinæ, quo DEUS positivo, universali & indifferente influxu in motus & effectus creaturarum omnes, quæ tales, seipso immediate & simul cum illis, una eademque numero actione, juxta cujuslibet creaturæ exigentiam ac indolem s'vaviter coinfluit & cooperatur. Quod ad conceptum communem attinet, nemo non intelligit, Concursum hunc non esse DEI actionem internam, sed externam, consideratum h. l. prout terminatur ad extra. Ex quo simul quæstioni: An cum volitione fit idem, tacite satisfieri in aprico est? Conceptu proprio, principium concursus, DEUM esse, edocemur. Huic namque ita convenit ut pro beneplacito immediatum in actiones creaturarum concursum, sublata simul earundem conservacione, tollere quidem posset; quæ tamen posita, prorsus adeo ab illo cessare nequit, ut sui loco aliam creaturam subordinet, quanquam Mendoza Disp. X. Phys. §. 28. seqq. & Rodericus de Arriaga Diss. Phys. Sect. I. Subject. 3. a nobis recedant. Nec modum concurrenti in conceptu definitionis data proprio perspicere non possumus. Universalis enim iste influxus est ratione effectuum, creaturis sine concursu DEI nullos nempe producentibus. Nulla hic locum invenit determinatio creaturæ, quam indifferentia e medio tollit. Immediatus etiam iste concursus est, & immediatione suppositi & virtutis. Ubi enim virtus DEI, ibi ejus quoque est Substantia, & contra. Quod immediatione virtutis agat, inde quoque patet, quia virtus

hæc ei non est communicata sed propria, hinc nulla creatura, si cum DEO conferatur, agit immediatione virtutis. Neque concurrat DEUS aliquid in causa secunda, sed cum causa secunda efficiendo. Id quod insinuat vocabulum concursus.

## SECTIO III.

### §. I.

Δ *τοῦ θεοῦ* non tantum duos hos actus, Conservationem & Concursum, sed hunc quoque, Gubernationem nempe subinfert, quam hac Sectione certo modo consideraturi sumus. Est Gubernatio hujusmodi Providentiæ divinæ actus, quo DEUS juxta voluntatis suæ consilia, rerum creaturarum vires, actiones & passiones, liberrime ita moderatur, ut ad sui gloriam, universi bonum & piorum præcipue salutem vergant. Hæcque DEI gubernatio varios in se actus complectitur, utpote: Directionem, Permissionem, determinationem, impeditionem, moderationem, juris & æqui administrationem. Ne actum agamus, nolumus omnium definitiones apud Philosophos æque ac Theologos relegendas, subjicere. Equidem præsuppositis his Providentiæ divinæ actibus, non mendose colligimus, Fortunam & Fatum, eo, quo vulgus sensu utitur, nec in Ludis, nec Lottariis dari posse.

### §. II.

Quem vero de Fortuna & Fato sensum vulgus habet, hic est. Quorum hominibus eventuum causa non liquet, nec ulla existit, eos nomine Fortunæ designat, ita quidem ut adversos, malam, optatos vero prosperam fortunam appellet. Fati vocabulo, necessitatem, cui homines subjecti sunt, inevitabilem innuit. Quod ad fortunam attinet, cum vulgo nec loquimur nec sentimus. Christianis quoque vocabulum Fortunæ, sed modo diverso, familiare est, casus scilicet inopinatos, quorum causas DEUS habet cognitatas, homines vero nesciunt, fortunæ nomine designantibus. Verum enim vero non statuunt, ejusmodi per accidens eventum dari ratione DEI omniscii; nec omnes a rebus humanis causas remouent, sed occultas esse dicunt easque soli DEO tribuunt. Nihil enim, nihil plane respectu DEI regentis & sapientissime omnia gubernantis ortuitum aut improvisum est.

### §. III.

Necnon in doctrina de Fato, ut circumspicere agamus opus erit.

erit. Solet ipsum pro diverſitate cauſarum triplex conſtitui, aliud enim eſt Chaldaico-Mathematicam, Stoicum aliud, aliud Chriſtianum. Illud accipitur pro certa illa diſpoſitione ſiderum, in qua quiſque conceptus eſt, vel natus, quo fato hominem quemvis in ſingulari ad omnia effecta & eventa, neceſſario trahi exiſtimabant Chaldaeorum Magi; quod Chriſtiani plane repudiamus. Iſtud eſt connexio omnium cauſarum, tam primæ quam ſecundarum, & effectuum ſimpliciter immutabilis, cujus hæc ſit vis, ut neque ſecundæ cauſæ aliter agere poſſint, quam agunt, nec prima aliter quam ſecundæ. Hoc pacto ne ſanctiſſimum quidem Numen ſati fines tollere, adverſus naturæ fœdera niti poterit. Nos vero rectius edocti, DEum cauſam omnem interrumpere, ſiſtere & mutare liberrime, quando velit, poſſe, pronunciamus. Recte Melanchton: *Non DEus eſt Numen Parcarum carcere clauſum,*

*Quale putabatur Stoicus eſſe DEus.*

*Ille poteſt Solis curruſ inſubire volantes,*

*Ille velut ſcopulos flumina ſtare facit.*

Hoc eſt neceſſitas ex abſoluto DEI decreto reſultans. Dividitur autem in univerſale & particulare. Fatum Chriſtianum univerſale eſt neceſſitas ex abſoluto DEI decreto proveniens, res quæ in tempore ſunt, tam arcte ſtringens, ut aliter quam actu ſunt, fieri nequeant. Hoc autem, cum ex libertate agendi non-ens faciat, Deumque conſequenter peccati cauſam velit, atro a nobis lapillo notatum rejicitur. Fatum Chriſtianum particulare eſt neceſſitas, ex abſoluto DEI decreto nata, res quædam hominum temporales ita ſtringens, ut aliter, quam facta ſunt, vel ſunt, fieri nequeant. Hoc ipſum concedimus, quippe DEus in rebus temporalibus juxta voluntatis ſuæ beneplacitum & agere poteſt & quandoque agit. Plures apud Auctores de Fato diſtinctiones inveniuntur, quæ quousque fatalem neceſſitatem non introducunt, nec libertatem hominis tollunt, admitti ſano ſenſu poſſunt, de quibus videantur Auctores ipſi.

#### S. IV.

Edocti, nihil poſſe reſpectu DEI fortuitum eſſe, ludorum omnium lucra vel damna, non fortunæ, neque infortunio, ſed providentiæ divinæ directrici accepta referenda eſſe, recte aſſerimus. Eſſet hoc cum Gentilibus inſanire, qui Fortunæ nomine, Numen cæcum & DEam volubilem, eventuum humanorum procuratricem, & pleraſque res ex libidine ſua agitantem, intelligebant.

*ſicutum*

*Chriſtianum  
de Chriſti  
C un*

*bonum  
Melanchton  
C deſer  
eſſentia*

*Si parli  
quod  
quod  
quod  
quod  
quod*

bant. Quid? quod ipsi quoque prudentiores Ethnici aliter pronunciant, ut ex Juvenal. Sat. X. Lib. IV. v. 635. patet.

*Nullum Numen habes. si sit prudentia: Nos te*

*Nos facimus, Fortuna, Deam, cœloque locamus.*

Non tamen negamus, diabolum quoque, præsertim toties vocatum, lusorum actionibus intervenire, & incitare eorum lucrandi cupiditatem, ut ad jurgia, rixas & cœdes profiliant. Statuimus etiam, quod, divina providentia permittente, aleam suomet arbitrio sæpe in damnum lusorum dirigere possit & dirigat.

§. V.

Equidem, quem nunc scrupulum adducimus, non paucos eosque magnæ pietatis viros male habuit & torfit. Dicunt: Sunt in mundo homines, quos nemo bonus responso, nemo colloquio, nemo aditu, nemo civitate & luce dignos putat, quorum tanta est scelerum copia, tantaque seges, ut nesciamus quibus principem locum, quibus posteriorem assignemus. Dantur e contrario, qui puro & ab omnibus cupiditatibus libero animo cœlestem quandam in terris vitam agunt. Illis omnia ad votum fluent. Ludentes lucentur. Mercaturam exercentes, Neptunum habent propitium, & in omnibus negociis suis fecundissima fortuna utuntur. Convestitos purpura parietes, amplam pecuniam & luxuriosas opes jam habentibus, quæ identidem instituantur Lottariæ, opima insuper, ne dicam optima sæpe præmia conferunt. Hi sævientis fortunæ ludum quotidie detestantes, ex noverca matrem, ex matre novercam, nimis quam frequenter experiuntur. Paupertate & rerum inopia pressi, ardentissimis DEum precibus venerantur, ut pecuniam Lottariis adjectam cum fructu redire jubeat, quos tamen spe & votis excidere sæpe imo sæpissime cernimus. Qui fiet hoc, si Providentia divina humanis rebus consulat, & universum hoc gubernet? Justusne ille DEus est, cujus providentia in hac vita probos malis, atros autem homines concatenatis adfcit beneficiis? Nulla ergo datur Providentia, omne fortunæ tribuendum est. Ita plerumque Athei.

§. VI.

Supra Sect. I. §. IX. Objectioni huic brevissimis tamen occurrimus. Hoc loco rem fusius illustrabimus, dicentes, falsam dicentium esse consequentiam: Deus probis hæc mala infligit, ergo eorum

eorum curam non gerit, Contrarium potius inde demonstramus. Ideo namque Deus variis calamitatibus exercet nos, ut probet, castiget, cautiores reddat, & a peccatis absterreat. Id quod maxime arguit providentiam divinam, quum id agit, ut ipsos salutariter dirigat ad finem ultimum, scilicet vitam aeternam. Quæ autem piis ac impiis, amplissima lucra contingunt, & in illis & his varios fines respiciunt. Quoties e.g. pii in Lottariis infelices sunt, sapientissimus rerum omnium arbiter Deus, suas, ecurr id ordinet, causas habet, quarum quædam in præcedentibus lineis indicavimus; quoties autem lucra obtinent, fit ideo ut in pietate magis magisque confirmentur, Deum vehementius ament, amatum honorent, honoratum nunquam laudare desinant. Impii vero, ex Lottariis & id genus aliis, lucra & commoda quædam dirigente Deo reportant, ad animorum suorum convictionem, quam nonnunquam solent ad agnitionem beneficiorum & Spiritualium & temporalium trahi. Deinde plures hic adesse possunt causæ, quarum aliquas accurate recensuit Clarissimus Dominus Wolffius in den vernünftigen Gedancken von der Menschen Thun und Lassen Cap. 1. §. 31. Sic enim inter alia scribit: Es ist gewiß, daß viele Menschen von außen einen guten Schein haben, hingegen aber nicht allein in verborgenen böses thun, sondern auch durch ihr eufferliches Thun und Lassen großen Schaden und viel Unheil stiften, so nicht von allen erkandt wird. ic. Dahero achten wir viele des Unglücks unwehrt, welches sie betreffen, da sie es doch gar wohl verdienet ic. Et ad finem §. 32. ita facit: Es ist nicht nöthig, daß die welche guts thun, allezeit Glück; hingegen diejenigen, welche böses thun, Unglück haben: sondern es ist genug, daß das Glück und Unglück in einem jeden Falle, sich als einen bewegungs Grund brauchen laßet, das Gute zu thun und das Böse zu lassen.

VII.

Recte hæctenus magnæ eruditionis Philosophus, cujus sententiam non approbare non possumus. Absint itaque a regno Providentiæ divinæ in vulgari sensu Casus & Fortuna. Absint Fata Chaldaico-Mathematica & Stoica. In Lottariis quidem Fatum ali-quod sed Christianum idque particulare admittimus. Plura tempus & charta prohibent. Hæc itaque de Ludis & Lottariis Providentiæ divinæ subjectis exponere in animum induxeramus, quæ ut a B. L., cordate censeantur identidem oramus,

*Anchora de proa jacitur sicut littore puppes.*

NOBILISSIMO DOCTISSIMOque  
DOMINO RESPONDENTI,

S. P. D.

PRÆSES.

**I**nnumera in Academijs Studiorum impedimenta sunt. Parentes suam partem peccant, quando commoda & fructus scientiarum precipiti spe vorantes, ad vota properant, & cruda adhuc studia in Scholas Superiores propellunt. Sapius ipsimet suo capiti malum suunt Filii. Qui ab amore vapulant, capillum pectere curiosus, de facie in consilium ire, plusque corpori, quam animo excolendo insudare. Qui forum aleatorium calefaciunt, totam cum voluminibus sapientiam mendicare apud eos cogunt, quorum cophinus fenumque supellex. Prævalentes opibus, literas ignobile ministerium & umbraticam vitam existimant. Alii curiose doctentium opiniones pro Junone nubem obtrudunt. Sunt qui sprete sapientia cum divine tum humanae fundamentis, Postillis, seriniorum alienorum expilatores, mox suggestis, psittaci verba conantes, inshiant. Et quis studiorum impedimenta enarret omnia? Quæ animo reputans, Te, Amice dilectissime, quanto bis feliciterem iudico? Magnopere tua in Studiis industria, morum elegantia, proficiendi ardor, optimus discendi, quo pleriq; laborant, ordo me retinent. Non tibi nascenti puero Parentes scientiam conatam autumabant, sed literis imbuto, inter Academicos demum locus erat, quos inter ultimus non fuisti. Nec Te hæcenus Calypso, nec Circe in specubus roscidis detinuit; Sed puella virgo patrima, satis ut scis ferocula, ne latum quidem unguem a se amisit. Nec quid dexter senio ferat, nec damnosa quantum canicula radat, scire tibi in voto fuit Omne tempus perire putas, quod studiis non impenditur. Præceptoribus potitus es, orthodoxis, & quibus meliores vix invenies. Nunc, adjuvante Deo, in eo es, ut non concionando tantum, quod multi, sed disputando quoque, quod pauci faciunt, Eruditionem Tuam demonstrates. Proinde Tibi, Amice, ex animo gratulor, quod tantum, a specie adulationis absit gratulatio mea, quantum abest a necessitate, publice omnes convicturo. Perge ut aliquando B. Parentis & Avi Tui, Christoph. Tetschii, J. U. D. & Prof. Regiom. Publ. & Judic. Aul. Regii, quod in Patria tua viget, Assessoris, Viri post fata viventis, vestigia legentem Te videamus & miremur.

Vale!







¶ ( o ) ¶

id? quod ipsi quoque prudentiores Ethnici aliter pro-  
ex Juvenal. Sat. X. Lib. IV. v. 635. patet.  
um Numen habes. si sit prudentia: Nos te  
imus, Fortuna, Deam, cæloque locamus.  
imus, diabolum quoque, præsertim toties vocat-  
onibus intervenire, & incitare eorum lucrandi  
cupi-  
urgia, rixas & cædes profiliant. Statuimus  
etiam,  
providentia permittente, alearum suomet ar-  
bitrio fa-  
lulorum dirigere possit & dirigat.

§. V.

Equid-  
eosque mag-  
in mundo hon-  
quo, nemo ad-  
tanta est scelerum-  
principem locum-  
contrario, qui puro d-  
lestem quandam in ter-  
unt. Ludentes lucrant-  
habent propitium, & in o-  
tuna utuntur. Convestitos  
& luxuriosas opes jam haben-  
Lottariæ, opima insuper, ne  
runt. Hi sævientis fortunæ lud-  
verca matrem, ex matre noverca  
experiuntur. Paupertate & rerum  
DEum precibus venerantur, ut pe-  
cum fructu redire jubeat, quos tam-  
sape imo sæpissime cernimus. Qui fiet h-  
na humanis rebus consulat, & universu-  
stusne ille DEus est, cujus providentia in h-  
atros autem homines concatenatis adfcit bene-  
datur Providentia, omne fortunæ tribuendum  
que Athei.

§. VI.

Supra Sect. I. §. IX. Objectioni huic brevissim-  
currimus. Hoc loco rem fusius illustrabimus, dicentes  
centium esse consequentiam: Deus probis hæc mala inf-

